DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS II. DECEMB.

M. NICOLAO LE LETIER, Doctore Medico Præſide.

An Febris Quartana longiſſima & ſecuriſſima? 1042

VT ex optima corporis temperie actionum perfectio, ita ex ametria, earum offenſæ: harum quædam ſunt totius corporis, partis vnius aliæ. Febris totius corporis intemperies eſt, quæ non in humoribus vere exiſtit, ſed in calore præter naturam, corde primum accenſo, omnis ſubſiſtit. Hæc vt à materia, diaria, humoralis, aut hectica, ſic ex putreſcentis humoris ſpecie & ſitu, continua aut intermittens dicitur. Cum in venis arteriiſque maioribus tanta eſt putredo quæ cor, vitæ & caloris fontem, continenter afficiat & labefactet, continuæ fiunt febres, συνεχῶς, ſynochi, cauſi, tritaiophyees, hemitritæi, κακοήθεις καὶ δύσφοροι. Si ἐν τοῖς φλεβίοις materia accenditur, leuiorque eſt, aut à corde longe ſemota putredo, intermittentes fiunt, quotidianæ, tertianæ, quartanæ, aut quæ ex earum implexu oriuntur. Continuæ illæ à maligna humorum putredine, aut inflammatione partium principum, aut eryſipelate ortæ, vt acutæ & præcipites, ſic citiſſime aut extingunt, aut extinguntur, ſed quacumque ratione intermiſerint periculi ſunt ſecuræ, & præcipuè quæ maximas dant inducias, ita vt vires, ſuſtinendæ morbi longitudini & iudicationi ſatis eſſe queant.

MELANCHOLIA putris, quæ caloris natiui beneficio regi non potuit, febrem quartanam excitans non in liene ſolum, ſed in meſenterio, pancreate, aliiſve ſedibus propriis ex cauſis congeritur. Vt humoris in alium humorem, ſic febris in aliam ſpeciem facilis eſt ὁδοιπορία. Melancholicus humor prius vſtionem non expertus mitiorem quartanam efficit, quam is, qui vſtione abijt in atram bilem, & cuiuſuis humoris torrefacti veluti fæx eſt, & cinis. Quæ ex ſeipſa, non ex alia præcedente febre, originem habet, vt lienis intemperiei ſolum conſectaria eſt, quam naturalis melancholiæ exuperantia peperit, leuior exiſtit & ſecurior. Si febrium intermittentium, acutarum, & erraticarum, vel κακοπραγίας, cancroſæque lienis diatheſeos ſoboles eſt, grauior & periculoſior cenſetur. Hæc quod hydropem ἀνίατον, vt viſcerum ſcirrhus, inuehat, Medicorum opprobrium, ſed malè vocitatur, quaſi vero inſanabiles morbos vincere poſſit Medicina, & non aliis adhibeatur ad remedium, aliis ad leuamentum, aut non potius prauæ partium diatheſi, humoriſue ἰδιοσυγκρασίᾳ, quam artis impotentiæ tantæ in hac febre diuturnitatis, aut periculi, cauſa tribuenda ſit, cuius quidem typus ex ſe longiſſimus puta 72. horarum, tertianus medius 48. quotidianarum breuior 24.

TOTIVS præſagitionis ſumma ex morbi cum viribus collatione depromitur. Hæ ex triplici pendent origine, cerebro, corde, & hepate. Morborum alij motum Lunæ ſequuntur, & hi diebus, repentináque in morbo mutatione ad ſalutem aut mortem iudicantur: alij Soli, qui menſibus ſoluuntur: alij planetarum cæterorum, & maximè Saturni motus, anniſque terminantur. Febris quartana menſibus ferme ſex definit, interdum tribus, & vix, niſi ex errore vltra annum prorogatur. Febres fore longiores non arguit anticipatio, vt nec breuiores retardatio. Quod redeant in cauſa hæc ſunt, motus, putredo, & humorum συναθροισμὸς. Quod vero ſtatà periodo recurrant, non humoris exuperantia vt nec manifeſta qualitas. Ἀταξία ſi adeſt longitudinem portendit. Sed ſi quem tædeat tantæ in hac febre longitudinis, de eo ſtatu mouenda eſt, in quo detinetur, ſic vbi id quod eſt curationem non recipit, poteſt recipere id quod futurum eſt, non enim ſemper abominandum remedij genus ſanitatem debere morbo. Igitur quid mirum, ſi quartana ſæpe exceſſu ſoluatur? Fabius in cruento contra Allobroges prælio febre quartana per bellicum ardorem fuit liberatus, ſicque amor, metus, lætitia, aliæque vehementiores animi perturbationes, ſæpius ſaluti fuere.

ERRATICARVM & inordinatarum febrium in quartanas facilis tranſitus: maxime ſi proximus Autumnus eſt, quo tempore θανατωδέσταται νόσοι dominantur. Verno tempore, quo videtur hoc meditari natura vt corpora noſtra inſalubribus humoribus repurgata nouis ſuccis repubeſcant, vt & æſtiuo, quartanæ breuiores exiſtunt, ab his ne pueri quidem immunes, in quibus πλεῖστον τὸ ἔμφυτον θερμὸν. Hæ frequentius adoriuntur ſenes melancholicos, præſertim ſi vigilijs, curis, mœroribus & laboribus ſeſe conficiant, & victu parco ſiccoque vtantur. Mulieres quibus lunaris purgatio, earum συγγενὲς βοήθημα, ſubſiſtit, ſi quando febribus quartanis diuexentur, aut hypochondriacis affectibus, grauius multo alijs laborant, & triſtius curantur, hiſque hæmorrhoidum fluxus ſuperueniens raro, (contra quam viris) ſalutaris eſt. Vis quartanarum vitare longitudinem? cum illis initio mitius agas, victus ratio ſit accurata, ſi ſanguis nigrior appareat venæ ſectio, purgatio blanda, progreſſo morbo interdum validiora remedia, vomitus κατ' αὐτὴν τὴν λῆψιν. Chinchinam, febrem quartanam quaſi miraculo fugare quis crederet, niſi expertus? Præſtigiis, incantamentis, & amuletis repreſſa, furibunda ſæpe, & funeſta euaſit, ita vt ſatius ſit ægrotare cum cauſa, quam ſine cauſa ſanari.

VVLGO, peſſimo rerum omnium interpreti, fidendum non eſt, dum aſſerit febrem quartanam numquam deſinere ἀσινέως. Verius Medicorum maximus, μακροτάτην, quidem illam, ſed ἀσφαλεστάτην aſſeuerat. Quotidiana contumax eſt, & refractaria, facultatis naturalis robur, aut infeſtat, aut diſſoluit, ventriculum offendit, qui totius corporis Rex eſt non Tyrannus. Tertiana breuior, ſed motu, cauſa, ſymptomatis, ardenti congener, in quam facile mutatur. Quartana vnam tantum nouercam, duas matres agnoſcit, quæ refectioni locum præbent, & recreandis refocillandiſque viribus iuſtum & idoneum tempus ſubminiſtrant; hinc eſt quod ægri, & foras prodire, & res tam priuatas, quam publicas obire poſſint. Quid plura? ſuo calore humorem melancholicum coquit, quem rigore diſcutit, lienis intemperiem emendat, infarctus viſceris ἀντιζύγου expedit, tremorem, conuulſionem (tutius quam febris acuta) quinetiam epilepſias placat, raro victus ratione, medicamentorum ſylua, locorum, ætatiſve mutatione ſanabiles, & nonnullos à grauiſſimis alijs morbis ſæpius vindicat.

Ergo Febris quartana longiſſima & ſecuriſſima.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Petrus Moriau.	*M. Rolandus Merlet, Sc. pr.*	*M. Gilbertus Puylon.*
M. Guillelmus Petit, Sc.P.	*M. Stephanus le Gangneur.*	*M. Ioannes Vacherot.*
M. Ioannes Couſin.	*M. Petrus Bourdelot.*	*M. Claudius Seguyn, Prim. Reg. med.*

Proponebat Lutetiæ ABRAHAMVS THEVART Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LV.